

¶ *The nobility of wine* ¶

D E V I N I N O B I L I T A T E.

C A P V T Q V I N C T V M .

Nobilitatem Vini quamquam superiora patefecerint abundè, non demonstrarunt tamen, nisi obiter. Necessaria ob id præsens particula in qua studiosi ac seriò præstantiam eius perscrutati, tantùm eminere dignitate ac precio vini nostra hæc negocia exploratum fiat, quantùm assurgere Nobilitate, vinum contestabimur. Duo verò huic conatui subseruient. Æstimatio Clarissimorum decoscriptorum: & Fructus quos humanæ conferat ebitum Vitæ. Huic (quod ad æstimationem) tantùm attribuisse creditur Esculapius vt æqua id cum Numinibus lance statuerit. Asclepiades condito volumine, vini vtilitatem, Deorum vix æquari potentia scribit. Platonis suffagatur item bracteata semper sententia, ingenio ac viribus temperato vini calore fomentum, suffici mirificum approbantis. Idem datum aliò scribit, non quidem ad insaniendum, siue debaccandum; ac verò ad pudorem concipiendum, & sanitatem, ac vires comparandas. (*p. 18*) Aiunt si quidem vulgares, oblatum Libero patri à Iunone Nouerca vinum, quò mentem filij deturbaret; indè postmodum ab eodem Libero, in cæteros diffusum, quò cæterorum baccatione, suam ipse cohonestaret dementiam. Aliter longius Plato: propinatum quidem Baccho vinum à Iunone, ad mentis docet deliria: at verò promulgatem indè in cæteros homines à Baccho, ad mentis firmitudinem: vt scilicet, quam infantiam senserit Iuno coquinare dementia, studeat Bacchus per vinum, & Mera, roborare salute, securitateq; ac neruis stabilere. Repetit aliò, vinum à Deo hominibus contributem. Quasi remedium aduersus senectutem, vt redire ad iuuentutem videantur, & mæstitæ eos capiat obliuio. Homerus eximus vbique vini præco. Libatum alij ferunt in Prisorum sacrificijs, quo mentis integritas, à dolo & mendacio seiungeretur: innuendo per huiusmodi placita, mentis & morum ingenuitatem parari per vina; vnde illud Platonis dictum, Vinum semper viridicum. Chijs, quia primum

inuentum Nigrum, ob id per leges donatis à Romanorum Republica prærogatiuis quàm plurimus. Nicerati Nobili Epigramate certum, eleganti Poetæ magnus equus vinum: Aquam bibens non firmè bonum producas carmen. Illud quoq; mirum in vini laudes.

*Balnea, Vina, Venus, corrumpunt Corpora nostra.
Sed vitam faciunt, Balnea, Vina, Venus.*

Alcæus, & Comicus Aristophanes, vino madidi pangendis inuiligibant Poematis. Multi præterea vino se proluentes, in hostem depugnarunt illustrius. Nulli in summa fluit Calamus, cui si non torpeat palatus, nō floreat, & gestiat in vinum hiatus. Pauca igitur sufficient hæc vini æstimationis testimonia, custodita tantum senio ac viribus, vt veluti phalagis nequeant à vini fugo villo, aut perdi, aut confundi. Quos modo vberes fructus humano porrigat Corpori ebitum, inutile fortassis repetere: paſſim istud per opus, & frequentius repetiros. Anima nostra, Corpus pariter, tunc segnes quando frigida: quæ ambo ad robur ac Vitam, Vinum calefacit, testimonio Platonis. Qui velit Naturæ copiam, Artem, & ſtudium hominum pro Vita, ac voluptatibus in vnum coniuncta contueri perquirat anxiùs, quantum velit, in solo vino tanta admirabitur. Nullibi ſi quidem ad vtranq; fortunam promptior, ac maior homini occafio, (*p. 19*) quàm ex vino præsto eft, ſi Marcello Virgilio auctoritatis aliquid concedas; ſi pariter Aristotili 30. Problem.docenti temet subieceris: pro mensura nanq; Caloris, mores varij; ijs verò Fortuna diuersos aperit vultus. Vinum dedit hominibus Semele, & Iouis filius, quod obliuia dolorum inducit, Alcæus: & aliás. Non oportet malis animum dedere, Nihil enim proficiemus, ſi mæterenos affecerimus, ò Bacchi, ſed remedium prætantissimum eft, vinum afferentes inebriari. Vinum (Diosc. docente) quod purum, nec admixta re aliqua fit, natura auſterum, communiter hæc præſtat: califacit, facillimè digeritur, & ſtomaco vtile eft, cibi appetentiam excitat, corpus alit, ſomnum conciliat, vires firmat, & amabili colore cutis bonitatem illustrat. Quantum verò in Medicinæ ſubſida valeat, tūm aduersos Venena, cùm etiam contra grauiora per ſe naſcentia Corporis mala palam faciunt ſequentia eiusdem Diosc. contextus, cuncta tūm Pharmaca, tūm Cibaria quàm longissimè precio, ac commendatione exſuperantia. Cibi deniq; ac potus vim inſignem, tradunt vino ingenitam; Venerem iunxerunt indiſſolubili ſemper ſocietate ſapientores Baccho. quo quidem in Emblemate, ſignificarunt Naturam ipsam, per Venerem indicatā, in qua humoris ſemina, abſq; vino perſiſtere non poſſe, ſiuè etiā ſi per Veneram, gratias & læta viuendi fuſceperunt. Vnde illa Lucretij decantantur.

*Æneadum genetrix hominum Diuumq; voluptas.
Alma Venus. Cæli subter labentia signa
Quæ Mare Nauigerem, quæ terras frugiferentes
Concelebras. per te quoniam genus omne animantum
Concipitur; visitque exortum lumina Solis. &c.*

Absq; vino tot pulchriora demi, crediderunt. Baccho, alij tanta tribuerunt, quanta Phebo; quinimò & maiora per Marsilium Ficinum, nam binos istos celebrauit indiuiduos fratres, & ferè idem. At Bacchum præposuit semper ipsi Phebo. Phebus quidem inquit ipse; ipsa spheræ illius Anima: sphaera verò Bacchus: immo & Phebus est totus ipsæ spheræ circus; Bacchus autem est flammeus ille in hoc circuо circulus; immò vero Phebus est almum in hoc flammeo globo lumen: Bacchus verò existet ibidem salutaris ex lumine calor. Venerem præterea Adonidem exarsisse, scribunt sapientes, qui Bacci celebritatibus in[dulse]ferunt (*p. 20*) Adonidem verò Bacchum esse opiniati sunt præ cæteris Plut. 5. Sympos. vt indicent Veneram, & Gratias semimortuas sine vino: idq; potissimum ad pulcritudinem & magnitudinem suam opotare Venerem. Eundum Chorearum Artificem & Bellorum Ducem peritissimum finixerunt, voluptatem scilicet, ac serij Opificem eximium. Filium denique Iouis, Sublimiora istis, in Ebrietatis, ac Cordialitatis examine peruestigata. (*pp. 17-20*)

::

D E F V L V O V I N O, E T
De eius Viribus Interpretate Colore.

CAPVT VNDECIMVM.

FVuluus Vini Color, longè abest ab Albo, & Flauo, & si videatur primo adspectu consors ambrorum. Albedo nihil (*p. 35*) emicat luminosi. Flauities obiectat quandam flamnitatem. Fuluites aerem, ac rutilantē vibrat igneitatem. Cum Albo igitur non conuenit. A Flauo, in hoc sciugatur, quod flammeitas in illo, in hoc autem fax radiorum fulminans. Admouens ergo oculis tuis delectabilem

huius vini laticem, attendas fulgori: siq; eructet fax illa splendorem, Fuluum enuncies. Come non aliter Leonum, quæ rutilant ignem, Fulua dici assolent. Et idem Sol, quoniam excutit subtilissimos radios, fulgere dicitur, & fuluo Colore distinctus prædicatur. Tale huiusmodi vinum, veluti solis receptaculum, siue etiam solis æmulam, illa accumulat in se attributa, quibus Sol, Orbus Vita ditatur; illasq; gratias comportantibus elargitur, quales Sol, viuentibus cōpensat. Huic affusa circumiacēt bona cuncta, quæ cultu solent numerare suo Poetæ. Diuitas in summa omnes in hoc liquore aperuit Natura, Homini prodiga Vitæ: infuditque huc veras epulas, & luxus cum Vita commiscuit. Non quidem indistinctum humoris genus, nec multum pellici à Terræ Minera ex materno Vitis vtero, in huius generatione credendum est, sed paucam coctiorem illum, atq; delicatiorem. munera, quæ & Terræ alicui cōcessit Cæli elementia, & Viti illi, Glebae salubritas, atq; prosperitas elargita est. Succum deinde hunc, tām insigni cum Arte elaborauit cum Vite, Solis radius, vt fulgorem, ac Nitorem proprium, in huius tabernacula visus fit conieciſſe. Plenum istud radijs Solaribus, gerit in gremio sui influentis Cæli, diuitias famosiores. Hæc vina ea æxistimes, quæ Aristot.30. Problem.3. Meteo. incendere mentem dicebat. Hæc quæ Aphrodiseus Temite appellauit. Hæc per Antonomasiam vina: quæ calido pollent vitali: quæ pota refeciunt, odorata exhilarant, vifa inuitant, tractata poculis spiritus augment, siccata calicibus, cogitatiuam excitant, diffusa per viscerum rempublicam, corda depurant, mentem acuunt, animant. Vina huiusmodi ditant Corpora, Caloris specie vitali, quippe que benignioris adspectus Planetarum receperunt puriores influentias, & tanquam hospicia quædam dignissima lucis cælestis, feruarunt illam hospicio, atq; indissolubiter ad dissolutionem vſq; detinuerūt. Nutriunt hæc, familiari quo donantur commercio cum Corporis nostri compositione: quæ ideo quam citissimè, vt sensus ostendit, in sanguinem transmigrant: quæuè spiritus nostros, tām vitales, (*p. 36*) quām animales, vt infrā ostendam excudunt propinata. Hæc annos quām longissimos compotantibus enumerant: & opportunè atq; iusta cum lance libata queum ad seculorū apicem perducere, integris cum sensibus, & cum animi securitate. Tot inquam bona Fuluum Homini infundit: quoniam fortasse purissimus, cælestisquè ille est Calor, quem Fulua coercent: sicuti purissimus, cælistisq; noſter quem corda concludent. Nulli tamen dubium ex Fuluis alia meliora, alia inferiora pro loci, pro cultura, pro feruationis, pro confectionis eius multiplici structura. Sed quæ perorat noſtra Oratio, ea sunt Fulua, quæ supremum locum pertingunt noblissimorum: quorum magnificentissima extitit Terra Phalernis illis

liberalissima Pucinis, fæcundissima Cretenibus: illa inquām sunt quæ toto in Orbe quæsita auxere luxum Regijs, contulereq; annos Regibus: illa madefecèrē mentes Poetarum, summos & minimos incendēre, qui concinnerunt hymnos, extruerunt togatas elegos tanti liquoris gloriam ac maiestatem culminantia: illa tandem, quæ alimentorum sceptrā tenent, quæ spumantes reddunt mensas, quæ opulentia cælesti laborant, quæ tandem sydus adfunt Vitæ humanæ, numen felicitati. Marina huius generis delibantur plurima, nō obscura ob nobilitatem fulgoris, nec vulgaria, ob gestientes suauissimos spiritus. Montuosa non pauca celebrantur similia, ijsdem titula acceptissima. Planis quoquè in Terris non desiderantur pleraque. Horum qui damnant vsum, modum immodicum condement: at qui laudant potum, modum commendant, & fructum intuentur. Sthomaco aduenit suauissimum; Cordi, Cordiale: Cerebro fulcimen: menti sydus: hepati robur: Venis spiritus: intestinis solatium: faucibus gratiæ: vniuerso deniq; Corpori columen, ac firmamentum. Hoc Fuluum Vinum, acuit, stimulat, actuat. Indigestos ergo liberat: graues excitat: tardos mouet. Hoc silentibus suggerit verba: hoc struit memoriam obliuiosis. In summa Temete noc, timorem omnem à pectore pellit, vnde vera illa Epicuri felicitas erūpit, qua considere semper, lætari semper, & festam perducere Vitam conceditur. Cuius mensuram, vbi de Ebrietate definitam perleges. (pp. 34-6)

::

DE ESSENTIA ET ORIGINE Saporum.

C A P V T XXV.

IAM tempus adeſt, vt poculum exſiccemus. Eius quandoquidem Colorem cum fuerimus contemplati: Conſtentiam cum perlustrauerimus: ſpiritum explorati, quid amplius reſtat, niſi ſaporem deguſtare, labijſq; natantibus, liquorē tandem delibare? A primordijs, vſq; Orientis medicinæ, munus interpretis reconditarum facultatum ſimplicium, confeſſum eſt vniſapori: tantumq; ſaporti poſt illud tempus detulerunt authoritatis, cuiuſlibet ſectæ Medici, vt Radicibus, Germinibus, Plantis, Floribus, Fructibus, Liquoribus, Fossilibus, Mineralibus, Simplicibusq; cunctis, non fint veriti conſtituere virtutem, cum

Saporem earum, lingua prius explorassent, & solos postremosqu; istos, gustu demum percepissent. Hinc simplicium medicamentorum libri illi Galeni laudatissimum pondus susceperunt. Hinc Theophrasti de hyftoria Plantarum mirabilis illa educ̄ta doctrina. Hinc Dioscoridis sempiternum illud de medica materia volumen absolutum. Hinc cuiuslibet tām quidēm Philosophantis de intrinsicis simplicium omnium medicamentorum, alimentorumq; omnium, viribus, ac potestatibus, (*p. 60*) singularia instrumenta, per quae sanitas præsens conferuatur, & amissa emitur, atq; recuperatur. Tantū si producitur saporis dignitas, bibere conueniet paulatim: animumque interim totum à Cerebro & Corde abigendo, in fauces conuocare. Hic æstimato prudenter vini sapore, præter quam quod voluptate gesties, sapientiam quoque nancisceris admirabilē: quippe qui valebis inde, minima quoq; fragmenta diuitiarum vini, meditando expiscari: & in salutem hominum de communissimo liquore, non quidem communiter, vt sit, sed solertissimo cum spiritu ratiocinari. Præstat verò per susceptam viam progredi: & proposita primum definitione generica Saporis, deinde de speciebus eius singulis, & de vini cognitis saporib. discurere: quamq. tandem exerceant Virtutem, in Corpus humanum coniecta, solito more indagare. Vnanimes conspirant Philosophātes, quod Sapor sit affectio, quædam mixti, quam imprimit humido aqueo, siccum terreum, opera Caloris.

Hæc Saporis quidem definitio, dummodò tamen eam, vt materiale quoddam accidens contempleris: nam si vt obiectum gustus accepteris, tunc superiori contextui definitionis addendum, immutans adactum, qui potentia est nobis, gustum. Imprimere verò siccum Terreum (vt expositione pateat definitio) aquæ humiditati, affectionem hanc, Saporis, sola potest ablutio siue percolatio. Id quidem, quod sensus manifestat, in Aquis pluuialibus, in Riuis, in Mare, in Fluminibus, Stagnis, Aluuionibus, Inundationibus: in quibus ea percipitur Sapidas, quam terræ super quas percolarunt, impressere. At quoniam nec simplex Aqua, nec pura terra insitum vllum saporem seruare degustamus: quoniam præterea negant sapientes aliquam Actiuarum Qualitatum concessam, binis istis elementis, idcirco commistionem illam in se inuicem, quæ connectitur Ablutione, siue Percolatione, cum sine Coctione persolui non possit (cuius munera sunt, coniungere, concernere, constipare, componere) Calori Principi ascripserunt, Calori vnico coquēte, connectante, stipante, densante, componente, apposuerunt. Tria ergo concurrunt ad Saporis Vitam, Calor, Terra, Aqua. Calor, veluti agens: Aqua & Terra, veluti materiæ, & subiecta proximiora, in quibus mixtio, coctioq; imprimantur. Verùm Colores quoque nec non Odores,

per talem Ablutionem (*p. 61*) nasci contendes. Nulli id quidem dubium, sed definitionis vltima, soluunt nodum. In ijs verò legitur, Finem Ablutionis Gustabilium esse, immutare Gustum. Ad producendam si quidem hanc in nobis affectionem, resolui necesse est substantiam ex sapido, vt docet Auic. quæ linguæ humiditati admixta, compreditur à Gustus sensu, eodem modo, quo alterata linguæ familiaris humiditas perfentitur.

Adhuc tamen vtrà progrediendum, & in grauissimo affectionis huius negotio (in quo veluti diximus fixa medicæ materiæ stant fundamenta) nihil videtur prætermittendum, quod saporis essentiam sub oculos euidentissimam non supponat. Sapor (vltima definitionis particula loquebatur) immutat sensum Gustus, de potentia ad actum. In lingua, bini sedent sensus, Tactus, & Gustus. Gustus ne solus iudicando erraret, socio firmatus est, cuius indiuisibili fruitur commercio, roboraturq; præsidio. Non enim, vt Plato, Venis donatur lingua, in Cor tendentibus, per quas saporum via, aperiatur in iudicium: neq; enim hæ patēt, neq; si paterent, aut tām breui sentiremus, aut tām difficulter interna afficerentur sapidis facultatibus: at certè, vt Aristotili placet, cum Gustu, Tactus, sempiterna lege naturæ consociatus. Gustus etenim, relinquit tactui officia discernendi Calidum à Frigido, Asperum à leni, Durum à molli: sibi verò referuauit soli imperium dijudicandi Alimentum in mixtis à non Alimento. Quo verò mota consulto natura binos istos coniunxerit indiuisibiles in lingua, Tactum & Gustū, breui recitat idem Aristot. 2. de Anima. Tactus primus omnium sensuum est in vita habentibus; ob id datus mortalibus, vt quibus primis componuntur sensum haberent. Componimur autem Calido, Frigido, Humido, Sicco, Duro, Molli, Asperio, Tenui & reliquis secundis qualitatibus commixtione aduenientibus: quare hæc quoq; obuia linguæ illico compræhendit. Ei verò obuia perpetuò aduenire iubet Natura, quò scilicet ijsdem perduret, quibus natalia consequutus est. Quam etiam ob Causam, tām in decernendo de sensilibus, quām in conseruando se ipsum, prima hæc amica exposcit, antiqua hæc cæco quoddam impulsu requirit: & nudas quidem ab aliena qualicumque copula affectaret, si puris illis, & nudis sciret animal constitutionem suam, & conformationem consecutum; Verùm (*p. 62*) quia ijs per occulta in quandam proportionem, & indicibilem nobis concursionem, subducimur ad Vitam, hinc refectionem ab ijsdem expectantes, cogimur potentiam cōnectere, ex cuius facultate, illud quod expedit velut perutile feligamus, quod verò officit, tanquam inutile refutemus. Potentiam huiusmodi arbitrij, Gustus sibi adoptauit. Quo circà cum Tactu linguæ, Gustus datus ei indiuisibilis socius: commissumq; ei à

Natura, vt iudicia ferat, non quidem omnium indifferenter, ad restaurationem aduenientium, (id enim Tactui delegauit officium) sed conuenientium, & incompetentium, quæ verè dicta sunt alimenta, siue escas, & nutrimenta. In ijsdem siquidem non inferuntur nudæ solum qualitates tangibles, quibus componimur primis, sed latitant amplius, qualitatum proportiones illæ, quibus postremis perficimur, & quibus merito nouissimis, actus ac viscera sustentamus. Vedit necessitatem huius commentationis Aristot. libello de sen. & sen. & eruditum optans eum qui circa doctrinam saporum versaretur, promouit hanc dubitationem. Immutet ne sapor Gustum, vt Gustus est, an potius immutet sapor Gustum, vt Tactus est.

Soluendoq; nexus, docuit idem quod nos suprà: & quid sit sapida substantia, siue Nutrimentum, præclarissimè explicauit. Sapida inquit substantia, nō ijs tantum prædita esse debet qualitatibus, quæ Tactum mouent, sed alterius insuper compotem esse necessarium est, quæ Gustum alterat. Alterant autem Gustum, sola Alimentosa: hoc est illa, quæ retinent in se præter qualitates simplices concursum earum in Corpus, conuenient nostro. Quod si curiosus percunctoris, in quo nam rerum modulamine conuenientia ist hæc consistat in cuius forma latitat Alimenti Natura, Aristot. lib. eodem parauit responsionem, & genio satisfecit, euidentiæ & diluciditatis aido, Dulce, illud esse docens. Dulce enim, absoluta mixti perfectio: Dulce symmetrum, numeris omnibus, & gratijs elaboratissimæ compositionis expolitum. Dulce, leuius Corpusculum: leuia verò cum trahatur facile à Calore, hinc Dulce, Caloris nostri coniunctissimum. Reliquas Sapidorum species, vel condimenti gratia receptat Calor, vel tanquam priuationes vnigeniti, & veri Nutribilis complectitur. Dulce veruntamen, & Suaue, videntur aliquo modo similia, & aliquo alio dissimilia. Similes quidem (*p. 63*) Qualitates, quia semper Suaue, omne Dulce: at tamen, dissimiles, quia non omne Suaue, Dulce. Verùm dixerim ipse, Dulce suauius quid simplici suavi: suaue verò gustabilem esse qualitatem parum à Dulci deflectentem. Homerus idcircò

Caseus & mel Dulce, suaue stillaq; Vini.

Vnde Dulce quidem, proxima Alimenti materia, non eo tamen minus, suaue. Hæc à vino non aliena: quæ si ad pleraque alia inuitentur, & planiorem reddent hanc de Saporibus lectionem mirabiliorē, & vinum attollent in celebritatem, & dolos detegent, largè iam diuagantes, qui Hippocraticam Artem, Peripateticamq; Scolam, summo cum Præceptorum dedecore, & antiquissimæ eorum nobilitatis fastidio defædarunt. Et huc peruentas liceat opto digredi parumper, & grandi in negotio cupidus exaudiri, detur quæso venia prolixitati.

Tangit hoc, Extracta illa medicinalia cōmunissima, & Quinctas, quas vocant essentias, Chimistæ, ex metallicis, & mineralibus, per suam fundendi Artem, educ̄ta, quæ quidem celebratissima, sub nomine alimentorum, per vniuersum circumferuntur, & manibus Principium, atq; Potentum admiranda, gestantur. Et vt de Extractis primū loquar. metalla quam plurima, Aurum, Argentum, Perlas, Corallo, Margheritas, Smaragdos per fusoriam Artem parata, offerri solent nostro hoc sæculo familiariterq; ægrotantibus prædicantur in refectionem præciosa; tanquam Alimenta quidem, at ea non consueta, sed recondita quadam ope eius Artis, exactiora: purissima scilicet, immunia ab excrementis, vitalia vbiq; Cælestia. Tantūm porrò rerum istarum, processit studium, vt vel medicum derideant, qui Chemicam non sapiat vel Philosophum repræhendant, qui in Chemicam obloquia contorqueant. Neque rei nouitas hic stetit, sed longius progressa, studiosos sui plurimos fecit, plures illecit in fraudem, multos perdidit confusione: quorum Confortiū (quod restat peioris) tanto cum tumultu nunc oblatrat, vt Apollineū Medicum, germanæq; Philosophiæ sequacem, Deo scilicet, vt inquit Hipp. in Præcept. æqualem, contendentem contrà Chimicos, illorumq; inania machinamenta, validissimis consilijs destruentem, exaudiri non permittant.

At vos qui extracta istiusmodi Nutrire affueratis, quam aliam, docere, proponitis Nutribilis Vitam, ab ea dulce tenet (*p. 64*) in se, & suave vñctuosum? Si solum Dulce Gustum mouet, si solum Gustabile, alimentum exhibet? Quod nam modò Dulce promunt metalla? Quod suave vñctuosum Mineralia? Quem nutribilem saporem instillant lutoſa Terreftria, aut frigido præssa Fossilia? Hoc ergo insigni nomine negandū illis alimentorum Priuilegium. Verūm, Alterationis facultatem ijsdem fortasse assignabitis, quando Nutritionem nequeatis. Ego verò Alterationis quoq; vim, nullam ijsce contendam ineffe: vnde si inepta, ea sensitis figmenta ad nutriendum Corpus, eadem ineptissima ad alterandum audietis. In gratiam veruntamen Auri, Argenti, & Gemmarum, hæc valeant dictata, in quæ propensus inhiat extrahendo ad celebrem cordialemq; Corporis humani refectionem, Fusorius. Nulla præpotente, pollent Aurum, & Gemmæ, qualitate: cuius extat consilij argumētum eorundem insipiditas. Si ergo sensum Gustus non mouent, quomodo Altricem agitabunt, cuius interpres obuiat Gustus, & Liguæ Tactus præcurrit? Quod si à formæ recondita aliqua proprietate, vt Plotinus, & Classis eius optarunt Authores, id ea præstare affeueraueritis, in aliud continuò absurdum reciditis: per hæc si quidem, vera negabitur Alimenti ratio, quam Philosophi sanciuerè, Alimentum nempè eiusdem fore speciei cum deperdita nostra substantia, sed huic per vos addendum,

posse nostram substantiam, ab alia aliqua qualitate siue vinobis incognita restaurari. Sentimus præterea, eodem moniti experimento, non valere sanum Corpus vllum, lapidum, aut metallorum, Extractorumq; fuorum præsidio conseruari. Cur itaq; infirmum, confingemus ope illorum reuicturum? Sed non alterare repetamus, initio sumpto à Calore, quem ex nullo istorum sentimus augere: neque ex vlo arguere possumus id futurum, quandò Gustus ab ijs in Calorem non alteretur, quo prævio nuncio, venturas virtutes prælibamus? Quandò condensata à frigore, Vinci frigido non coniectemus? Quod si siccitate agere ea dixeritis intra nos, non video ipse cur in pauca Quantitate deuorata, non pereant absorta in Alueo ventris, & Pelago humorum non perdantur. Terrea etenim siccitas, non potest Aqueum humorem incrassare, nisi copia præualeat. Adsistendum porrò sanguinis fluxum, ex rupturis Venarum erumpentem ediscimus medico exercitio, non quidem pusillum, sed plurimum (*p. 65*) pulueris inspergendum. Ad quid ergo pauxillas datur ægrotantibus Cordialium vestrorum, si colluuie tumet Corpus, si diluuiio humorositatum inundat? Vires adhuc exeri magnas à minima quātitate substantiæ nō potuerunt mei sensus ad hūc vfq; diem percipere: nam trahere Magnetam paucam, ferrum, at paruulum vidi quidem, eandem tamen animaduerti nec magnum trahere, nec loco quatere. Multa ebullit intrà nos eluuiies, febre dum opprimimur, & vestra potissimùm, ò Veneti magistri, maligna; quam alterare, & vincere non quidam bolus, sed nec amplissima alia fisteret massa, aut inflechteret. Alere itaque non possunt metalla, nec lapides, siue extracta metallorum aut lapidum. Alterare pariter nequeunt. Nec tandem si specifica aliqua proprietate valerent, sensile tamen beneficij opus aliquod promouerent, quum pusilla instituatis decoranda. cui si lubet addere alterum, non posse scilicet Quinctas essentias quas promulgant plerique fabulosas purgare Corpus ab impuritatibus morbosq; ob id depellere id certè non inanem habuerit euentum. Nam fidunt Chimici protectores suis illis illusionibus, quod Aurum confocetur cum nativo nostri Calore, quo aucto, Calor inde insurgat in abigenda, & profliganda fastidia Corporis. Commentum istud quas condat fabulas attendito. Id præstare aurum Qualitatibus elementaribus negant: id enim defendere non possent quamquām verè Philosophiæ, compotes. Ergo in proprietates abditas necessarium configuum. Aiunt itaq; Cælestem esse Calorem Cordia, & Cælestem Auri Calorem siue virtutem. Cui inde addunt supposito, defectibus tunc præsto esse Aurum nostri huius Caloris, si quando langueat, quo reuiuscente, grauiora expediatur, & in obiecta mala potens insurgat, ijs Ego. Æternitatem per tantas nugas parari nobis certissimum; quam nullus tetigit. A morbis adhuc

securissimam abstinentiam, & immunitatem, quam nullus habuit. refectionem insuper salubriorem quam sensit nullus. sed proximus accedas: Natiū vos Calorem, Cælestem profitemini, & liberè publicatis, nec innumeris viris sapientibus aliter sentientibus respondetis? Cælestis itaq; Calor ab elementari, hoc est alimentali, & a Cælesti, diuersis speciebus sustinetur? Alteratur, minuitur, augetur, perit, reuiuiscit, cælestis? Cælestis ergo & elementaris paribus priuilegijs gubernantur? (p. 66) Aucta ergo Cælestis si amouet vtrō peccata humorum & Corporis, ergo Pueri, & fortissimi nu[m]quam tacti in morbis? Quid tandem efficiunt cælestibus, terrestria? enecant cælestem vitam, & sublime principium viuendi fæces alui, excrements sanguinis, elementaria? Alias tamen satius transferre exquisitiorem huius propositi doctrinam; eo nempè loci, vbi de medicamentis omnibus ediferam, Deo protegente studia & vitam. Audio tamen repugnantiam à Plotinicis illis & Astronomis: spiritum dicētibus cælestem imitari, & trahi in paratam materiam; quæ si cōfundatur, & conspurcetur euanescere & perire, tāquām aliquid spiritus medium, inter Corpus, & Animam. Ijs ergo purissimis substantijs insertum esse astruunt plurimū eius exquisitoris & Cælestis spiritus. qui non segnis f[er]ocurrat spiritibus Cordis purissimis, eos clarificabat vtrā, & illustrabit, qui valeant inde saniores, sanitatem tueri, & animi tranquillitatem propagare. Ijs non obsisto ipse: sed velim hæc recognitata. Nasci spiritus nostros vitales de die, in diem à crassioribus alimentis & sanguine: eosdem perire de die, in diem ob animi patemata, & peccata Corporis. Quamobrē non sufficit ad sanitatē nec sat est ad vitam quod ij illustrentur, sed necessariū est, vt regenerentur; id quidem quod nulla metalla queunt præstare. & præterea non est vnum spiritus cordis, qui vitam sustentet, sed præter eum & Venæ, & Offa, & Carnes crassius pabulum exoprant. Quamobrem des quātum voles horum Cordialium siue extractorum, nec ad sanitatem, nec ad vitæ essentian sufficient. & fidere istis leuissimo filo est vitam appendi, fabulisque & commentis eorum suspensi, qui loquacitati primū student, quām demonstrationi, & veritati. Reliqui rursus illi spiritus, & quas vocatis Quinctas essentias ex simplicibus erutas, quas teneant vites, in refiendo, non valui adhuc, aut sensu percipere, aut ratione discursuvè vlo intropicere. Mixtum (mecum discurrebam) si est Corpus hominis, à simile quod est mixtum conseruabitur. Simplicissimæ ergo Quinctæ essentiæ, qua legis benignitate alēt? Addetis fortasse, spiritus illas excitare segnes, eosdemq; turbidos serenare? Hoctamen afferto, nutrire non concludetis, sed satiūs alterare. Vellicabunt nanq; (vt ita dixerim) segnitieim illam, & impetu erumpentis calorificè qualitatis discutient suas illas præter naturales

Nebulas. Hoc quidem (*p. 67*) euenire posse opinor. At magnificas illas eximiæ potentiæ laudes in populum iactatas vnde excerptis? Cur veluti Thesaura solis arcana sanctoribus custodienda committis? Nonne odores ipsi suauiores, & acutiores, hanc de se elidunt gloriam, & ad hanc solam nati sunt salutem adferendam? Quid ergo supra Florum, aut Atomatum excellentiam, illas transportatis? quos tamen Flores, quævè Aromata vulgari vt potè manu tractata passim contemnit. Verùm si istis non contenti instaueritas Quinctas hasce essentias præditas ea esse facultare, quæ reponat deperditos spiritus, quibus veluti cardinaibus fistit vita; egū tunc fieri non posse speculater, vt spiritus animæ, generet sine præuia alteratione, adueniens aliquod ab extra: id quidem quod fieri posse, conabor eo loci demonstrare vbi quo pacto vinum nutriat, edifferam. Concesso tamen, tali in præsentia supposito, non verificabitur adhuc, Quinctas vestris essentijs hoc esse priuilegium delegatum, regenerandorum animæ spirituum. Si etenim Pingue, & Vnctuosam nutriunt sola, Aerei certè & subtilissimi vestri spiritus minimè pingues, non Aquei, non Vnctuosi, qua cum Arte nutrient? sed humanos dicetis aereos. Erratis certè: nam prodeunt ij à succis Animæ altricis, & ab illis nati emergunt. Cuius suæ Originis illus adest testimonium, quod deficientibus succis, ipsi quoque delinquent: corruptis pariter corruant.

Ad complendas itaque restaurationis intentiones non debent rationales præssidijs istis abuti extractorum, aut Quinctarum essentiarum: nec tot tantisque ob id ea celebrare encomijs: sed coacti artis ingenuitate, debent suam illarum dolositatem patefacere. Non ea scilicet Nutribilia: Non mira: sed paululùm Alterabilia, inania, pauperrima remedia. Neque Alterabilia tantum, vt spei aliquid fructificæ proponant; sed parcissimè prolifica salutis: quæ dum sanum hominem nequeut seruare, ægrum neque sanabunt, ac multò minùs morti proximum reuocabunt. In vnica si quidem persistentia virium, quam stabilis firmat Nutritio, Vita perdurat. Alteratio verò, quantùm vis potens, supponit semper hanc virium firmitudinem: qua ablata impotens, & ipsa ruit alteratio, vt potè quam moliatur virium robur, & simplex virium integritas succendat. Vina, Vina, Chimistæ? Vina Nutriunt. Vina alterant. (*p. 68*) Vina sustenant firmos, erigunt lapsos, cohibent cadentes; Vina edunt miracula, non extracta, non lapides, non Quinctæ essentiæ nomina fabulosæ; non boli, non pillulæ argentæ, auræ, aut gemmæ, plebis deceptions, incantamenta marsupij, vituperia sapientiæ, medecinæ opprobria. Hæc dulcia: Hæc Vnctuosa: Hæc Pinguia: Hæc Leuia: Hæc calidi connati Pabula, corporis humani sublimia, certissimaque Alimenta. Hæc verè sapida. Hæc propterea celebrando elogis vestris, Encomiastico cantu,

& lira. Hæc seueriori disciplina in vsum Vitæ percolenda, in ægrotantium commodum ministranda, & præsens vt tentat labor commone facere semper saluti hominum imminentia. (pp. 59-68)

::